

tum per interrogaciones à prudenti Confessario examen.

CAS. II. Sergio Antonium verberare volenti , promissit Cajus corbam frumenti , si verberationem omittet. Omissit hic, at cum frumenti corbam petit , ipsi eam negat Cajus. Q. an illi eam tradere teneatur.

Respondeo negative. Ratio est, quia ei non debetur neque ex justitia, neque ex fidelitate. Non ex justitia; cum enim nullum jus ipsi competeteret Antonium verberandi , si hunc verberare omissit , id fecit , ad quod jam tenebatur , & quod ex justitia debebat Antonio. Propterea , cum faciens, vel omittens aliquid , ad quod tenetur ex justitia, nihil pro eo possit prætendere , quia esset prætendere pro eo , quod non sibi , sed alteri est debitum, & quidem gratis ; & quod saltem in humano commercio , nullius est æstimabilitatis , ideo neque Cajus tenetur ex justitia illi dare corbam frumenti, secus magna aperiretur via simoniae , & usuris. Neque ei debetur ex fidelitate , quod enim sic maleficiis promittitur , non promittitur omnino libere, sed ex quadam coactione , quia nempe aliter noluit maleficium omittere, prout aliquin tenentur , sicut in casu consimili tradit Regius Resol. cap. 4. num. 17.

CAS. III. Sempronius paupertate pressus , dormit in eodem lecto cum Cajo , cum quo sæpe habet tactus impudicos. Q. an possit absolvvi , si cum illo dormire non destinat.

Respondeo negative , supposito quod alias ipsi assignata salutaria remedia , non prosint , & consentire soleat in istos tactus. Ratio est , quia in tali casu frequens relapsus cum eadem persona , & in eodem loco, satis denotat, simultaneum concubitum Sempronii cum Cajo esse respectu eorumdem occasionem inducentem ad malum. Proindeque cum ad hoc præcavendum, agonizare teneamur pro anima nostra , dicendum, quod absolvvi non possit, si cum Cajo dormire non desinat.

## ANNO MDCCCLV. MENSE JANUARII.

CAS. I. A gricola diebus festis solet mane ante Sacrum , & sub vesperam colligere fructus in agro, onerare currus, aliaque servilia opera exercere absque facultate sui Parochi , á quo etiam admonitus , excusat factum , dicens, se id facere ad fugiendum otium, & ut possit alii diebus ferialibus esse expeditior ad agros colendos. Q. an peccet mortaliter , & quænam pars temporis censeatur notabilis pro mortali violatione Festi.

Respondeo in primis , Agricolam per se peccare mortaliter , & quidem singulis diebus festis , quibus talia exercet per notabilem diei partem. Ratio est , qui cum hujusmodi opera , utpote servilia , sint die festo prohibita, quacumque festiva die per notabilem diei partem ab agricola exercentur, etiam

etiam interpolate , notabiliter ab eo vlatur præceptum sanctificandi Festum ; nam singula illa opera , intra eamdem diem ab eodem excitata , continuantur moraliter , & coalescent in unum opus notabile : sicuti medicæ comediones intra eamdem jejunii diem ab eodem plures reperitæ coalescent tandem in unam notabilem refectionem , & mortalem fractionem jejunii , ut patet ex contraria 29. Propos. dam. ab Alex. VII. Nec agricolam excusat prætestus ab eo allatus sic fugiendi otium , ac se expeditiorem reddendi, &c. Neutrū enim ipsum justificat. Non primum, quia otium vitari potest per alia media non prohibita , immo honesta , ac presertim vacando Deo , rebusque divinis : Festi enim dies , ait SS. D. N. Bened. Papa XIV. fel. mem. tom. 1. Bullar. Constit. 60. ad id instituti sunt , ut fideles in precibus , divinisque laudibus frequentes , & assidui sint , ut Ecclesiis intersint, Sacramenta ad Animæ vulnerum curationem adhibeant , seduloque se exerceant in his operibus , quæ veram pietatem continent , & ut demum Sanctos , una cum Chistore regnantes tamquam Patronos , congruis officiis , & honoribus prosequantur. Non secundum , quia non licet violare Festum , ut quis præcise reddat se expeditiorem ad laborandum sequenti die feriali : alias posset pictor in die festo licite conterere , ac miscere colores , & alijs euicunque artifex servilibus aliis operibus vacare ad eundem finem; quod tamen à DD. commun. reprobatur , ut illicitum , ni simul interveniat vera urgens necessitas, vel alia justa causa id peragendi , & quidem recognita (si periculum non est in mora) & probata à superiore Ecclesiastico ; ut plures declaravit Sacra Congreg. apud Monacellum Form. part. 1. tit 3. form. 7. immo requiritur quod sit scriptio probata saltem à Parocho , cum in Synodalibus Diœcesanis Constitutionibus decretum id habeatur , ac expresse præceptum in Epistola Encyclica , data 16. Martii 1737. ad universos Archipresbyteros , & Parochos hujus Diœcesis à Praefato SS. D. N. tune nostro Archiepiscopo , quam una cum omnibus , & singulis notificationibus , ac edictis , ad bonum Civitatis , ac Diœcesis spirituale regimen spectantibus , die 10. Iuli 1755. confirmavit , & inquantum opus erat innovavit Eminentiss. ac Reverendiss. Princeps Vincentius Cardinalis Malvetius , in præsens Archiepiscopus noster vigilantissimus. Quare cum agricola soleat prædicta exercere absque approbatione facta saltem à Parocho ; dicendum , ipsum per se peccare mortaliter , & quidem &c. Dico per se ; nam si bona fide putari fugiam otii , &c. à culpa excusare , & Parochus , audit a tali excusatione , nihil depositus ; ideoque is in priori bona fide perseverans , prosecuitur operari , tunc excusat à culpa per accidens , ratione bonæ fidei. Sanchez Consil. tom. 2. lib. 5. cap. 2. dub. 31. Quænam pars temporis postea censeatur notabilis pro mortali violatione Festi , in jure definitum non habemus. Hinc plures DD. spatium unius horæ , duarum circiter alii communius assignant, si non parum laboris circa opus impendatur.

CAS. II. Q. secundo , an , & pro quo vicibus , & ob quasnam causas possit Parochus suis subditis dare facultatem exercendi opera servilia dicrum festis.

Respondeo ; posse Parochum in hac Diœcesi dare in scriptis subditis suis facultatem , ut mane , audito Sacro , aut post prandium , finitis Vesperis , exercent

ceant diebus festis opera ruralia; quando, & quoties *id exigit vera urgens necessitas, aut publica utilitas.* Ratio est, quia indefinite sic Parocho permittitur in supracitata Encyclica. Nequit tamen dare licentiam imponendi bestiis onera, ut hæc alio transferantur; nec potestatem facere Mulionibus, ut cum jumentis, vel plaustris, quæ mercibus onusta sint, iter habeant; nec Pistrianariis quibuscumque, ut in Molendinis aliquid molant, vel ad ea quidquam vehant, sive ab eis revehant; cum in ordine ad hæc in eadem Encyclica facultas dandi licentiam reservetur Archiepiscopo, vel eius Vicario Generali. Ubi postea per Synodales sanctiones, aut per Edicta Episcopalia nihil de hac re decretum repetitur, censeo pariter Parochos, in casu urgentis necessitatis, & absente, aut longe distante Ordinario, posse concedere suis subditis laborandi facultatem, saltem auditio Sacro; quamvis enim dare licentiam ex officio spectet ad Ordinarium, & Judicium Ordinarii (si commode adiri potest) requiratur etiam in casu necessitatis, vel alterius iustæ causæ, ut declaravit *Sacra Congreg.* 12. Martii 1601. apud Pascucium Comp. Pign. v. de fest. dieb. Matthæucium Offic. Cur. cap. 21. num. 4. & alios; tamen cum Ordinarius commode adiri non potest, & aliunde urget justa causa laborandi, tunc rationabiliter præsumitur eumdem Ordinarium actu ratum habere quod Parochus examinet justitiam causæ, & hac justa detecta, licentiam concedat ex interpretativa commissione: non alia ratione in hisce casibus requiritur assensus Ordinarii, quam ut ab eo dignoscatur ante permissionem laboris, an vere adsit justa causa laborandi. Cum ergo in defectu Ordinarii possit Parochus dignoscere justitiam causæ, dicendum, quod hic possit, immo in casu teneatur dare licentiam, &c. si cuti ad id teneretur Ordinarius, si rogaretur: cum cognita justitia causæ, Episcopus licentiam negare non possit, ut declaravit *Sacra Congreg.* Episc. 12. Maii. 1465. apud Pascucium loc. cit.

**CAS. III.** Novit Villicus superabundare in prædio Domini sui folia mororum pro alendis bombycibus, properea ipsum admonet, ut vel folia quarumdam arborum vendi sinat, vel majorem bombycum copiam ponit permittat. Abnuit Dominus, subdens, sua parum referre, quod reliquum è foliis marcescat, frustraque pereat. Villicus tamen majorem bombycum copiam ponit, sericum inde extractum vendit, pretiumque illi majori superadditæ copiæ correspondens sibi totum retinet. Q. an licite.

Respondeo negative. Est enim pretium serici, retracti ex bombycibus, quos in substantia aluit ex foliis Domini, sicuti cæteros, unde sicuti de pretio retracto ex alio serico debetur pars Domino; ita etiam de isto. Nec obstat Dominum dixisse sua parum referre, si reliquum è foliis marcesceret, ac frustra periret: in primis enim credibile est, Dominum id non protulisse ex animo, & ea intentione, quod vere frustra periret; sed potius ob timorem, quod si folia quarumdam arborum vendi, aut majorem bombycum copiam ponit permitteret, aliam postea foliorum quantitatem ipse quanti pluris emere cogeretur, ut Dominis quandoque contingit in hujusmodi casibus. Deinde cum hic agatur de pretio retracto ex fructu mixto, communis est Doctorum opinio, Dominum non esse eo privandum, etiamsi illud alias non fuisset percepturus, ut videre est penes Giribaldum de rest.

cap. 2. dub. 5. num. 50. & hoc maxime valet in casu; nam cum Villicus conducatur in utilitatem Domini, tenetur ex officio curare pro sua peritia utilitatem ejusdem. Neque dicas, Dominum huic suo juri cessisse abdicando dominum per prædicta verba, & derelicta linquendo folia, quæ supererant: non enim propriæ abdicat dominium rei, nec rem derelinquit, etiam ex animo, eamque perire sinit; nam sic potius ostendit, se habere circa eam plenum dominium, & in eam plenum dominium exercet.

### M E N S E F E B R U A R I I.

**CAS. I.** **P**Etit Sempronius à Parocho, ut sibi det facultatem in certo Ecclesiæ loco faciendi sepulturam pro se, suisque domesticis tantum. Consentit Parochus, sed vult, ut sibi pro eo situ, qui valde honorabilis est, tradantur centum à Sempronio. Q. an Parochus exigere possit ea centum absque labe simoniæ.

**CAS. II.** Q. secundo, ad quem spectent illa centum.

**CAS. III.** Q. tertio, an habens sepulchrum proprium, possit absque labe simoniæ illud alteri vendere.

Respondeo ad primum cum distinctione. Vel Parochus vult, ut ea centum sibi tradantur pro situ, quatenus sacro, aut quatenus honorabili per respectum ad aliquid spirituale. Vel vult, ea centum sibi tradi pro ipso situ materiali, seu quatenus honorabili per respectum ad aliquid temporale. Si primum, clare patet, ipsum non posse ea centum exigere absque labe simoniæ; locus enim quatenus sacer, & prout dicens respectum ad spirituale, spiritualis est, ac proinde absque simonia nil pro eo exigi potest. Si secundum, dico, quod Parochus absque labe simoniæ potest ea centum exigere, si hujusmodi materiale una cum illa honorabilitate tanti valet in communis hominum æstimatione. Ratio est, quia ex una parte materiale talis loci solum per accidens est conjunctum cum spirituali, nec amittit suam æstimationem ob talem conjunctionem; ex alia id, quod pro eo exigitur, ut honorabili per respectum aliquem temporalem, exigitur pro ipso honore temporali, qui non est materia simoniæ. Nec obstat, S. Gregorium, relatum in *Can. Quæst.* 13. quæst. 2. reprehendisse Januarium Episcopum Caralitanum, eo quod pro sepultura cuiusdam mulieris centum solidos petebat: Et in cap. *Abolenda de Sepult.* mandati Episcopo, ut inhibeat Clericis, ne quidquam pro terra sepulchri exigere præsumant, ac utrobique vocari pravam consuetudinem in contrarium. Non obstat, inquam, nam hi, & alii consimiles Canones loquuntur de sepultura, ac terra loci jam deputati ad communem quasi necessariam sepulturam, ut sunt Coemeteria, ac Sepulturæ communes in Ecclesiis Parochialibus Coemeterium non habentibus: quæ sunt loca, ut ita dicam, necessaria ad sepeliendum mortuos ritu Ecclesiastico; ac proinde etiam pro terra eorumdem nil ut pretium exigi volunt. At noster casus est valde diversus; loquimur enim de situ non deputato ad sepulturam communem, ac necessariam, & sumpto secundum suum esse materiale, quod cum sit pretio æstimabile, & non connexum essentialiter cum spirituali, hoc invendito, utque vendi potest una cum illa temporali hono-

notabilitate, quam importat: sicuti, juxta S. Thomam in 4. dist. 25. q. 3. ad 1. ratione materie licite vendi potest alicui Ecclesie Calix consecratus, adhuc integer, & alicui locari Coemeterium pro fœno ex eo colligendo, quia colligere fœnum è Coemeterio est quid mere temporale. Et hæc præcipue valent pro iis locis, in quibus saltem à decem annis, & scientie, & consentiente Episcopo, viget consuetudo aliquid exigendi; quæ juxta Riccium, Naldum, & alios jam est universalis. Moneo tamen, in hac Dicecesi Bononiensi prius consulendum esse Archiepiscopum, antequam ulli familiae concedatur jus sepulturæ, aut novum substruatur sepulchrum; ita enim dedit ultima Synodus Dicecesana lib. 3. cap. ult. §. Sub Altaribus.

Resp. ad II. cum Filluci tract. 45. cap. 3. quæst. II. num. 16. spectare ad ipsam Ecclesiam. Ratio est, quia proprie hujus est situs, qui fuit concessus; & hæc ea est, quæ subest alicui alterationi, ac mutationi in suo pavimento, & fundo ob ædificationem sepulchri; nec potest deinceps extra casum necessitatis aliter disponere de tali situ usquequo extant ex domesticis Sempronii. Unde cum ipsa subsit hujusmodi incommodis, ei debetur pretium commodum.

Respondeo ad III. qui habet sepulchrum proprium, hoc est, propriis sumptibus empium, vel ædificatum, potest, interveniente consensu Parochi, vel alterius Superioris, jus habentis in tali Ecclesia, absque labore simonie, ipsum alteri vendere quoad materiale, & pro quanto in eo expendit. Ita Rosignolus de sim. præn. 24. n. 17. Ugolinus, Layman, & alii. Ratio est, quia, ut supra diximus, materiale non desinit esse quid pretio æstimabile ex quo per accidens sit conjunctum cum spirituali: & expensæ factæ in communi opinione suam retinent æstimabilitatem: Ergo sicuti ob hanc rationem potest, juxta dicta, vendi Ecclesie Calix, ac Parochus exigere eam centum pro situ materiali, honorabilitate, ac obligatione temporali aliter in posterum non disponendi de eo situ; ita &c. Nec obstat, quod vendor in casu non habeat dominium, sed tantum usum sepulchri: quemadmodum enim quamvis Ecclesia non abdicet in primo casu dominium situs, sed emperor acquirat solum usus ejusdem, potest, hoc non obstante, Parochus illacentum exigere propter materiale &c. ita &c. Deinde etiam Conductor domus non habet illius dominium, sed usum; & tamen, sakein de consensu Domini, potest eam alteri sublocare: ergo à pari. Requiritur tamen consensus Ecclesiæ, id est superioris ejusdem; cum enim, deficiente familia, vel hæredibus, Sepulchrum pertineat ad Ecclesiæ, in præjudicium ejus cedere potest, quod sepulchrum vendatur alteri extraneo pro se, & successoribus ejus. Immo sepulchrum vendi non potest ab hærede, vel successore in præjudicium aliorum hæredum, aut successorum, statim ac à primo institutore pro hæredibus, aut successoribus fuit constructum. Vide Passerinus de Hom. Stat. tom. 2. quæst. 187. art. 4. num. 363. ac 393.

### MENS E M A R T I I.

CAS. I. **C**ajus fœminæ gravidæ ad se adventanti terrorem joco incussum, unde secutus est abortus. Q. an inciderit in casum reservatum homicidii secuti, factusque sit irregularis?

Res.

Respondeo, Caju non incidisse in casum homicidii reservatum; factum tamen esse irregularem. Ratio pr. partis est, quia homicidium reservatum in hac Dicecesi, est homicidium voluntarium, hoc est studiose, malo animo, & ex intentione occidendi commissum; vel saltem intentum in sua causa proxima, ex qua ordinarie sequitur mors. Jam vero hujusmodi non est abortus, ac mors fœtus animati, secura in casu ex terrore per jocum à Cajo fœminæ gravidæ incusso: siquidem Cajus intendit quidem illi incutere aliqualem terrorem; at, cum id fecerit ex joco, non intendit eam adeo perterrefacere, ut ob nimium terrorem abortiret: hoc enim, uti supponitur, nullo modo prævideret, & quod secundum esset, nec suspicionem habuit. Propterea cum dicta mors, neque in se, neque in sua causa proxima, fuerit à Cajo volita, ac intenta, dici debet ipsum proprie non commisso homicidium voluntarium, per consequens nec incidisse in ejus reservationem. Ratio secundæ partis est, quia dicit Cajus non præviderit illam fœminam fore adeo perterrefaciendam, & cum abortu mortem fœtus; tamen advertere facile poterat, ac debebat, inopinatum terrorem fœminæ gravidæ incussum posse etiam in fœtu causare alterationem periculosam, & quandoque etiam mortem; ac proinde abstinere debebat ab illo joco, & terrore periculoso; maxime attenta fœminarum natura, quæ admodum timida esse solet. Propterea cum ab hoc minime abstinuerit, censetur voluntarie dedisse causam abortui, ac morti fœtus animati: ideoque est irregularis, ut cum communis docent Sayrus de Censur. lib. 7. cap. 6. num. 31. & Joann. Bapt. Corradus Respons. par. 1. quæst. 344. in addit.

CAS. II. Seja uxor Caji adulterabatur cum Titio: qui monitus, mortem à Cajo parari sibi, ac prædictæ Uxori, interficit, eumdem Cajum. Q. an dicta Seja possit nubere Titio?

Respondeo cum dist. Vel Titius interficit Cajum de consensu & consilio Sejæ, aut ad finem ducendi Sejam: vel in id Seja nullo modo consentiente, & ad puram sui ac Sejæ cautelam, ac defensionem. Si primum; dico, Sejam non posse Titio nubere, quia in utroque illo casu inter Sejam, & Titium datur impedimentum criminis; si enim interficit Cajum de consensu, & consilio Sejæ, mors Caji secuta est ex machinatione utriusque; nam Titius eam intulit physice per occasionem, & Seja moraliter per consilium, quod sufficit ad contrahendum impedimentum, cum hic attendatur machinatio, qualiscumque illa sit, ideoque etiam moralis, ut cum Pyrrho Corrado, & Sanchez notat P. Syrus Placentinus Dilucid. part. 2. cap. 2. form. 8. in fine. Si postea Titius interficit Cajum ad finem ducendi Sejam, etiam in tali casu adest prædictum impedimentum ob præcedens adulterium, & machinationem unius, cum effectu ad talem finem. Si secundum; dico, Sejam posse Titio nubere, quia in tali casu ex adulterio, & machinatione unius, facta, non ad finem ducendi, sed ad sui, ac Sejæ cautelam, & defensionem, etiam occasione secuta, non oritur Criminis, aut aliud impedimentum dirimens; & per consequens Seja, quantum ex hoc est, potest utique Titio nubere; ut tradunt Doctores communiter.

CAS. III. Concessit Uxor marito, ut votum Castitatis emitteret; eo tamen emisso, pluries illi petenti debitum reddit. Nunc acta scrupulo, an ei-

dem licite indulget, petit à Confessario, an possit illi debitum reddere, & etiam petere?

Respondeo ipsam non posse reddere, nec petere, si quando id marito concessit, ipsa renuntiavit juri suo, & maritus expresse ei remisit obligacionem reddendi; nam in tali casu tam reddere, quam petere, esset cooperari fractioni voti, facti à marito, & per consequens peccatum grave, juxta illud Apostoli ad Rom. 1. *Digni sunt morte, non solum qui faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus.* Si vero eo tunc nec ipsa renuntiaverit juri suo, nec maritus expresse ei remisit &c. dico in tali casu ipsam posse absolute petere; reddere vero, si maritus ab ea monitus ut abstineat, nolit abstinere. Ratio primi est; quia, si non cessit juri suo, etiamsi marito indulserit ut voveret, illud adhuc retinet; cum sint duo diversa, consentire marito ut castitatem voveat, & se privare jure petendi; ac proinde in tali casu libere potest debitum petere, sicuti antea. Ratio secundi est, quia licet eo tunc peccet maritus illi se uniendo per debiti exactiōnem, ipsa tamen Uxor non peccat nolenti abstinere debitum reddendo; nam ex una parte dat operam rei sibi licet, maxime si id faciat ad servandam fidem datam in matrimonio, ac satisfaciendum juri, quod ille adhuc habet in ejus corpus; aut ne illum ad iram, & odium erga se provocet, neve is contra naturam, aut cum aliis peccet. Ex alia proprie dici non potest cooperari formalī peccato mariti, à quo potius per monitionem conata est ipsum retrahere; sed in casu dicitur mere illud permettere, cum non sit causa quod *Vir debitum exigat*, ac peccet. Hinc habens necessitatem mutui, si hoc non inveniat ni penes eum, qui mutuare non vult absque usura, proprie non dicitur cooperari formalī peccato ejusdem, si ab hoc ipsum accipiat; ut cum communi tradit Giribaldus de Mur. & usur. cap. 3. dub. 12. ita &c. Dominicus Soto in 4. dist. 31. quæst. 2. art. 3. Perez de Marr. dist. 50. sect. 5. Sanchez eod. tr. lib. 9. disp. 6. num. 7. & disp. 36. n. 10. Bonacina, & alii.

### M E N S E A P R I L I S.

**CAS. I.** Nierat Petronius cum Geminiana Mutinensi Sponsalia de futtiro, cum Paulus, amicus Sponsi, hunc per viam inveniens, eidem jocose ait: Quando contrahis Matrimonium tuum? Cui ille, quando vis tu; volo enim, ut ipsum meo nomine contrahas. Age dum, subjunxit Paulus, trade mihi mandatum, & illico ad ipsum ineundum proficiscar. Scribere fecit Petronius, Pauloque tradidit speciale mandatum, ficto quidem, ac jocoso animo factum; sed immediate, post Pauli discessum, vero, stabilique consensu ab ipsomet Sponso interne ratificatum. Q. an Matrimonium per Paulum inde contractum, sit validum?

Respondeo negative cum Conink tom. 2. disp. 24. dub. 9. num. 72. si mandatum ante Matrimonium aliquo modo non fuit Paulo serio renovatum. Ratio est, quia semel, ac jocose, & animo ficto Paulo datum fuerat speciale mandatum, proprie hic non erat verus Sponsæ procurator, sed fictus; nec habebat verum mandatum, sed fictum, & ex mera falsa suppositione: per consequens neque poterat Sponsi nomine valide operari, & vigore volun-

luntatis ejusdem verum inire Matrimonium. Nec obstat, Petronium vero interiori consensu postea ratificasse mandatum; cum enim iste vetus consensus non fuerit Paulo manifestatus, non potuit hic vigore ejusdem facere nomine Sponsi externam illam traditionem, & acceptationem, quæ in actu celebrationis Matrimonii vicisim fit a contrahentibus. Hinc, sicuti si Sponsus in actu contractus dicat Sponsæ animo ficto: *Duco te in uxorem*, contractus in foro conscientiæ est nullus, quamvis postea interne in eam consentiat, dum ipsa exprimit suum consensum, eo quia mutua externa traditio, essentialiter requisita ad Matrimonii contractum ex parte Sponsi, in casu non processisset ex vera voluntate ejusdem, & consensus posterior nullo fuisse exteriō signo manifestatus; ita &c. Actus enim externi non sunt in hisce casibus vera signa interne voluntatis, nisi ab ea proveniant.

**CAS. II.** Titius, Sempronius, & Caius, fratres, omnes uxorati, vivunt simul in communione bonorum. Titius tamen habuit à sua uxore dotem longe ampliorem aliis fratribus, qui sunt etiam onusti filiis, quorum plerique sunt ad laborandum inutiles; cum Titius ē contra unum solum filium habeat, pro quo ejus Mater, quæ domum regit, multa sèpe clam reponit, non deducenda in partitionem cum aliis. Q. an id tutæ conscientia facere possit?

**CAS. III.** Q. secundo, quid faciendum, si fratres deveniant ad partitionem bonorum?

Respondeo ad I. non posse dictam Matrem id facere tutæ conscientia, si ejusdem maritus vivit cum duobus aliis fratribus in communione bonorum omnium in universum; posse tamen de consensu mariti quandoque reponere aliquid discretum judicio viri prudentis, si præcise habeant indivisum patrimonium, simulque habitent utentes eadem mensa, cibo, & potu simulque laborantes. Ratio primæ part. est, quia, inita inter fratres societate communionis bonorum in universum, omnes proventus, & expensæ, omniaducrada, & debita, undecumque advenientia, sunt communia, dummodo non adveniant ex delicto, aut culpa alicujus ex Sociis; & si unus ex iis plus aliis expendit, dummodo id faciat ex rationabili motivo, puta, pro alenda prole numerosiore, non possunt illud alii Socii repetrere; quia istae majores expensæ eo tunc non sunt in consideratione, 1. si *Socius pro filia, s. pro Socio, Molina* tom. 2. de Just. disp. 421. Propterea cum in isto casu non habeat dicta Mater ullum justum titulum clam aliquid reponendi, id facere non potest tutæ conscientia. Ratio sec. partis est, quia, tunc inter fratres ad summum censemur tacite inita societas bonorum patrimonialium: propterea cum non veniat in communionem fructus suæ doris longe amplioris, potest de consensu mariti, ad quem spectat ejusdem dominium utile, clam reponere excessum fructuum, non quidem libratum judicio suo, sed judicio æqui boniæ viri, si aliter conventum non fuerit inter partes, aut diversa non sit consuetudo, quibus indubie standum est. Hinc inferes, quod si fratres deveniant ad partitionem bonorum, in primo casu prius detrahuntur dotes, dein cætra æqualiter dividuntur, si ab initio aliter pactum non fuerit. In secundo ulterius detrahendus excessus fructuum præfatae dotes, si jam non fuit à Titii uxore surreptus; quinimmo juxta D.D. sunt etiam Titio compensandæ illæ ma-

majores expensæ , factæ pro majori numero , ac in utilitatem filiorum Sempronii , & Caij : dein cætera æqualiter dividenda . Ex quo habes responsum ad alium casum .

## M E N S E M A I I.

**CAS. I.** **S**ergius importunis precibus , & cum promissione Matrimonii , extorsit copulam à virgine , que postea recusata à stupratore , nupsit alteri æque dingo , tum ipsa se virginem ita bene simulavit , ut nullam maritus de ejus violata pudicitia suspicionem haberit . Q. an Sergius teneatur ad ullam restitutionem pro violatione virginis à se facta ?

**CAS. II.** Secundo an peccaverit talis foemina simulando se virginem esse , cum talis non esset ?

Respondeo ad pr. per se loquendo non teneri Sergium in casu ad ullam restitutionem ; non enim tenetur vi legis , quia dispositio cap. 1. de Adult. & Stup. ut pote facta in odium seductionis , est pœnalis , ideoque non obligat ante sententiam Judicis . Anacletus in 4. Dect. tit. 1. §. 4. num. 76. Neque tenetur ratione ejusdem violationis ; nam cum virginitas amissa in se sit irre recuperabilis , restitui non potest ; & cum non habeat pretium , pretii solutione non compensatur . Lessius de Just. & Jur. lib. 2. cap. 50. num. 15. Dixi nihilominus per se loquendo , eo quia si maritus successu temporis acquireret notitiam pœfatae violationis , ac ob id uxorem desereret , aut male tractaret , tunc juxta Vazquez opusc. de Rest. c. 3. §. 2. dist. 3. num. 8. & alios , teneatur stuprator aliquid tribuere arbitrio viri prudentis ad reficiendum tale damnum subsecutum ; sicuti tenetur quando stuprata contra ipsum egit penes Judicem , & hic ad aliquid tribuendum ipsum damnavit .

Resp. ad sec. neg. cum Bonacina circa 8. Decal. præc. disp. 10. quæst. 1. pun. 2. num. 8. dummodo id fecerit mediis licitis , ac positive tendentibus non ad deoipendum , sed ad occultandum proprium defectum . Ratio est , quia cum hic sit ex iis defectibus , qui à contrahentibus non solent manifestari , & si manifestetur , ordinarie constituat personam in eo statu , ut vel nulli , vel non nisi personæ ignobilioris notæ nubere possit ; usa est puella jure suo ita bene regendo vitium amissæ virginitatis , ut maritus de violata ejusdem pudicitia nec suspicionem haberit ; siquidem nemo tenetur prodere se ipsum , & quisque potest tantum sibi consulere , quantum licite fieri potest . Monet namen , & quidem recte , idem Auctor , quod ut puella sic deflorata licite nubat , requiritur , quod vel ita tegat defectum suum mediis licitis , ut verosimile non sit , quod ejus vir umquam sit illum percepiturus , vel quod cognoscat , quod , eo etiam detecto , ob ipsum non concipiet gravem moerorem , nec ipsam valde male tractabit ; nam secus , inquit , ipsa mortaliter peccat ita nubendo , cum det occasionem gravibus inconvenientibus subsequentibus , vel saltem eorumdem grave periculum adstruat , ac exinde facile oriri grave damnum .

**CAS. III.** Berta effecta grava à Sacerdote , huic dicit , se velle pharmaceum sumere ad abortiendum , ne facinus ad suorum parentum notitiam deveniat . Sacerdos , hoc audio , tacet , ac interim illa pharmaceum sumit , &

sequitur abortus . Q. an uterque incidat in casum reservatum , & Sacerdos sit irregularis ?

Resp. Si Sacerdos præcise taceret , in casum reservatum incidit quidem Berta , si foetus erat animatus ; non tamen Sacerdos , qui probabilius neque est irregularis . Ita P. Joann. Dominicus Mansi de Cas. reserv. part. 1. quæst. 2. cas. 5. §. 2. num. 41. Ratio primi est , quia Berta sic causando abortum foetus animati , vere commisit homicidium voluntarium , in cuius reservatione cum comprehendantur etiam foeminae , ideo &c. Ratio secundi est , quia Sacerdos non consuluit procreationem abortus , nec Berta resolutionem ullo modo approbat , sed tantum tacuit , & sic abortum permisit ; ideoque cum in casus reservatione ne verbum quidem fiat de mere permittentibus , dicendum , quod ille non inciderit in casum reservatum . Nec obstat , quod teneretur impedire abortum ( ut ajunt plures ) etiam ex iustitia ; id enim probat quidem , quod Sacerdos gravissime peccaverit , nullum non impediendo ( in quo sensu etiam intelliguntur Canones , qui opponi solent ) attamen non probat , quod incidet in reservationem casus , cum hæc ut pote odiosa extendi non debeat ultra terminorum expressionem . Ratio tertii est , quia irregularitas adstrui non debet , ubi à jure statuta non reperitur . Porro nullus Canon asserri potest , in quo dicatur , eum esse , aut fieri irregularē , qui præcise non impedit homicidium , ut nota Card. de Lugo de Just. & Jur. disp. 10. sect. 11. num. 219. & 222. ubi refert Dianam , & alios , ideo &c.

## M E N S E J U N I I.

**CAS. I.** **C**ajus Paterfamilias meretricem domi alit , ideoque sepe admodum nubens fuit à filia , ut pellicem domo expellat , alioquin ipsa fugiet . Et de facto , cum Pater non resipiceret , fugit filia à domo Patris , sequit ad honestam familiam in alia Parochia existentem recepit , ubi benigne excepta , ac per tres menses commorata , ibi tradita est in matrimonium cum adolescenti , commoranti in Parochia diversa , cui Matrimonio adstitit Parochus , non sponsi , nec Patris filia , sed illius familie , in qua per istos tres menses filia commorata est . Q. an filia peccaverit nubendo , non præmonito Patre ?

**CAS. II.** Q. secundo , an istud Matrimonium celebratum ab hoc Parocho sit validum ?

**CAS. III.** Q. tertio , an Pater teneatur illi dare dotem suo statui convenientem ?

Resp. ad 1. Filiam prædicto modo nubere attentatam , non præmonito Patre , utique peccasse ; si ultra expositum in casu , ipsi non inerat aliud grave motivum Patrem non præmonendi . Ratio est , quia sic defecit in subjectione , quam habet , ac habere debet maxime filia ad patrem , nechon in veneratione , & honore à filiis debito parentibus , ut inter alios docet D. Ambrosius epist. 64. ad Sisinium lib. 6. ubi loquens de filio , qui uxorem accepterat , inconsulto patre , ait : Malo culpam fateri : ipsa paterna offensio fuit . Nec obstat , quod Pater sit improbus ; sicuti enim Servi teneantur ad amorem , re-